

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum
Romanorum**

Cellarius, Christoph


Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

Lib. VII. De Roma Litterata.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

lex II. codicis Theodosiani de pœnis, qua prohibetur, in facie serui, vel damnati scribere, quia facies ad similitudinem pulcritudinis cœlestis sit figurata.



LIB. VII.

DE ROMA LITTERATA.

SECT. I.

DE ROMANORVM STVDIIS AN-
TE SVLLAM. k)

§. I.

IMPERIORVM & rerumpublicarum, quas Deus ab orbe condito eminere voluit, primas partes Romanam tulisse magna consensione, quotquot non rudes historiarum sunt, ad vnum omnes, rationibus non incertis persuasi, confirmant. Nul-

D d 2 lum

eadem auersa conspiciuntur, in summa velut cute, cultelli acumine videntur exaratae negligentius.

k) Quod in vetere editione *compendii* huius exstat, caput de studiis Romanorum submoui, atque in eius locum auctoris nostri elegantem dissertationem *de studiis Romanorum litterariis in vrbe & prouinciis* anno MDCXCVIII. Halæ habitam & postea in eiusdem *dissertationibus academicis* p. 341. iterum typis descriptam, substitui. Nec inconsulte hoc fecisse me, credo, quum omnia, quæ adhuc *in compendio* hoc de Romanorum studiis tradita fuerunt, nunc copiosius, distinctius & cum maiori testimoniorum adparatu exhibentur.

lum enim vnquam imperium cum hoc vel amplitudine finium & numero prouinciarum, vel copiis & exercituum robore, & inde sequuta victoriarum gloria, vel denique administrationis prudentia & diuturna rerum conseruatione comparari potuit, vt non magno post illud interuallo relinquatur. Causam magnitudinis percontati, plures quidem in armorum peritia & firmitudine inuenisse, putant, quam nemo quidem negabit facile ad subigendos populos & proferendos fines contulisse; si vero nobis dicendum est, quod sentimus, ingenue fatemur, illam neque vnicam nobis, neque præcipuam causam magnitudinis Romanæ, quam indicauimus, videri. Prælio enim vincere, & vrbes expugnare, ac populos in seruitutem redigere, etiam barbarorum est; at victos deditosque ad vitam mansuetiorem adducere, eosque ita in officio continere, vt non inuiti pareant, neque se victos esse, sed auctos felicitate, fateantur; ita qui vicit, is maiori, quam armorum præsidio imputare victoriam, necesse habet.

§. II.

Quum autem duo sint, quibus Romani nominis sui magnitudinem implerunt, armorum peritia & studia litterarum; atque armis arma irriterentur, neque tranquilla obtineatur felicitas: consequens est, vt litterarum cultura effectum sit, vt ad tantum fastigium Romana maiestas eueheretur, & per tot sæcula in eodem immota atque inconcussa etiam perstaret. Liberalibus enim di-

sci.

sciplinis & ipsi didicerunt, qui benigne atque ex æquo imperarent, & qui illorum ditioni subiecti erant, in studiorum societatem perducti, promtiores facti ad parendum sunt, postquam litterarum lumine cognouerunt, quorum imperio acceptum referrent, quod a barbarie ad vitam cultiorem, & ab inscitia ad humanitatem & variam doctrinam traducti essent. Quum itaque tantos fructus ex studiis percepisse Romanos, constet, operæ pretium facturi nobis videmur, si in studia illorum, quibus tantam consequuti felicitatem sunt, inquiramus, ut æmulatione excitati, quod salubre nobis & nostræ sit reipublicæ, tanquam ab exemplo, in illustri loco ad imitandum proposito, capiamus. 1)

§. III.

Sero in vrbe studia litterarum coli & exerceri cœperunt; nec ante Punica bella quisquam clatus iis disciplinis inter Romanos commemoratur. Omnis doctrina antiquitus philosophia, historia,

D d 3

poesi,

1) De studiis veterum Romanorum litterariis commentati sunt: IO. WOWERIVS egregia de polymathia tractatione, Hamburgi MDCIV. edita & in tom. VIII. thes. ant. Græc. GRONOVII p. 985. translata: IO. MASSONIVS in vita Horatii: IO. NIC. FVNCCIIVS comment. de adolescentia & de virili ætate latinæ linguæ: HERM. CONRINGIVS de studiis liberalibus urb. Rom. IO. ANDR. BOSIVS de ortu, educatione & studiis Iul. Agricola: CONR. BVDDI diff. de studiis liberal. apud vet. Romanos: GEORG. NIC. KRIEGKIVS de modis inclarescendi apud Romanos: & venerandus pater diatrib. de variis modis litteras colendi apud vet. Rom. p. 52. eius parerg. academ.

poesi, & oratoria arte continebatur, cui pauci ius
 ciuile addiderunt; sed politiores litteræ poesi ma-
 xime ac oratoria concludebantur. *Liuius Androni-
 cus* primus fabulam Romæ docuit, seu litteratu-
 ram illam comicam a Græcis in Latinos transtulit,
 anno circiter proximo post finitum bellum primum
 Punicum. CICERONEM auctorem sequimur, in
Bruto cap. XVIII: hic Liuius, inquit, *qui primus*
fabulam C. Clodio Cæci filio & M. Tuditano cons.
docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius; post
*Romam conditam autem quarto decimo & quingen-
 tesimo, ut hic ait, quem nos sequimur.* Hic, id est,
 Pomponius Atticus in annalibus, qui inter collo-
 quutores erat. Ex quibus corrigendus est alius
 locus CICERONIS *lib. I. Tuscul. quæst. cap. I.* vbi
 legimus: *serius poeticam nos accepimus. Annis*
*enim fere ccccx post Romam conditam Liuius fabu-
 lam dedit, C. Claudio, Cæci filio, M. Tuditano,*
consulibus, anno ante natum Ennium. Accedunt
 fasti, qui illos consules, post quingentesimum,
 anno XIII. constituerunt, & GELLIVS *lib. XVII.*
cap. 21. idem confirmat.

§. IV.

Quinto post anno, quam Liuius ingenium pro-
 ferre cœperat, hoc est 1019 vrbis conditæ, *Næ-
 vius* poeta fabulas apud populum dedit, vti apud
 GELLIVM *d. l.* est; quem breui post *Ennius*,
 bello Punico secundo centurio, sequutus est, qui
 in maius meliusque Latinas litteras ingenio suo
 prouexit. m) Hunc plures exceperunt *Cæcilius*,
 Pa-
 m) Sub ipsam Ennii mortem *Crotes Mallotes*, insignis
 ille

*Pacuvius, Attius, Afranius, Lucilius. VELLEIVS
PATERCVLVVS lib. II. cap. 9: clara per idem eui
spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tra-*

Dd 4

gædiis

ille criticus & grammaticus, cum quo Aristarchus varias criticas habuit controuersias, in urbem venit, nec solum publice docuit, sed etiam omnibus modis Romanorum animos ad litterarum culturam excitauit. Refert de eo hæc SVETONIVS de illustr. grammat. cap. I. p. 1061: *primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticæ in urbem intulit Crates Mallores, Aristarchi æqualis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem, quum in regione palatii prolapsus in cloacæ foramen crus fregisset, per omne legationis simul & valetudinis tempus, plurimas ἀγορᾶς subinde fecit, assidueque differuit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum.* Fuit hic Crates Mallores Timocratis filius, seque non solum philosophiæ Stoicæ, sed etiam grammatices pariter ac critices disciplinis ita tradidit, ut non solum Homerum felici successu emendaret, sed etiam nomen *Homerici & critici* suo tempore, ut SVIDAS lex. tom. II. p. 370. narrat, nancisceretur. Ex iis, quæ SVETONIVS supra indicato loco de eo memorat, luculenter patet, eum in aula Pergamenorum regum in ciuilibus pariter ac publicis negotiis adhibitum & magna existimatione ac dignitate præditum fuisse. Quando idem scriptor refert, eum grammaticam artem Romæ primum intulisse, obseruandum est, voce *grammaticæ* hoc loco non indicari rudiorum eius partem, siue prima litterarum fundamenta, quæ iam ante Cratetem Romæ tradita fuerunt, sed perfectam illam grammatices partem, quæ in interpretatione, explicatione atque emendatione veterum poetarum versatur. Hoc luculenter ex SEXTO Empirico, SVIDA aliisque testimoniis comprobauit *diss. de ortu & progressu artis criticæ apud vet. Romanos §. VIII. p. 21. seq.*

gædiis Pacuuii, usque in Græcorum ingeniorum
 comparationem euecti. - - - Celebre & Lucilii no-
 men fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello
 eques militauerat. Hos ut ingenio valuisse non
 negamus; sic arte rudes fuisse, si posterioribus com-
 parentur, non diffitendum est, id quod de Ennio
 OVIDIVS dixit lib. II. trist. v. 424. Et CICERO
 de clar. orat. cap. LXXIV: *etatis illius ista fuit laus,*
tanquam innocentia, sic latine loquendi; nec omni-
um tamen. Nam illorum æquales, Cæcilium & Pa-
cuuium, male loquutos videmus. Sub idem tem-
pus Plautus, iam tum elegantioris notæ, eminuit.
 Itidem TVLLIVS tempus notauit d. l. cap. XV:
Plautus, inquit, P. Claudio, L. Porcio, viginti annis
post illos, quos antea dixi, consulens mortuus est, Ca-
tone censore, qui annus in fastis est 106LXIX; aut
 Ciceronis calculo, antea dato, 106LXX.

§. V.

Nec minor multo Terentius fuit, cultu nitidio-
 re præclarus auctor, de quo, ut ipse prologo adel-
 phorum ait, maleuoli homines, eruditioni eius
 detrahentes, dixere,

homines nobiles

eum adiutare, assidueque vna scribere,
 quos nobis auctor vitæ Terentianæ prodidit: cum
 multis nobilibus familiariter vixit; sed maxime cum
 Scipione Africano & C. Lælio. Vtrumque autem,
 & Lælium & Scipionem, minorem intelligimus,
 quod auctor vitæ Terentii ex Fenestellâ probat,
 intra finem belli Punici secundi, & initium tertii,
 & natum & mortuum esse Terentium. Quin-
 qua-

quaginta autem anni inter secundum & tertium bellum sunt. C. Lælium Terentio æqualem fuisse tam studiis, quam ætate, etiam CICERO testatur ad *Atticum lib. VII. ep. 3*: Terentii, inquit, fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur a Caio Lælio scribi. De Scipione, Lælii socio, VELLEIUS *lib. I. cap. 12*: Scipio Aemilianus, vir auitis P. Africani paternisque L. Pauli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniique ac studiorum, eminentissimus. Ecce nunc elegantiora studia, tempore tertii belli Carthaginensis! & par in his studiis exercendis nobilissimum, Scipionem & C. Lælium, quos, quod poetam amabant, adiuuabant, poetarum censui potius, quam alii ordini, adscriptos iam voluimus, n)

§. VI.

Sub idem tempus quidem historias scribere, non infeliciter ceperunt. *Fabius Pictor* haud dubie illorum primus fuit, quem LIVIUS *lib. XXII. cap. 7.* de prælio ad Trasimenum lacum, tamquam æqualem illis temporibus auctorem sequutus fuit. Hunc etiam Gallico bello, quod IX annis ante Annibalicum ab vniuersa Italia gestum fuit, interfuisse, idemque scripsisse, EUTROPIUS au-

D d 5

Etor

n) De fatiis artis poeticæ apud veteres Romanos ac celebribus, qui Romæ floruerunt, poetis, vide PETR. CRINITVM *de poetis Latinis*: LIL. GREG. GYRALDVM *historia, siue dialog. X. de poetis rom. II. operum p. I.* GER. IO. VOSSIUM *lib. II. de poetis Latinis rom. III. operum p. 230.* & IO. NIC. FVNCIUM *de adolesc. Lat. lingu. cap. II. p. 49.*

Et or est *lib. III. cap. 2.* Hunc latine scripsisse, ex eo constat, quod Catoni & Pisoni Frugi, oppido antiquis Latinis, M. TVLLIVS *lib. II. de oratore cap. 12.* coniunxit & interferuit. An vero etiam Græcos annales scripserit, ut probari videtur ex *lib. I. de diuinatione cap. 21.* non in aperto est. VOSSIVS mauult diuersos statuere, quam pro eodem scriptore habere. *Catonis Origines*, quas fenex scripsit, in fragmentis adhuc sunt commendabiles. His adiungit CICERO, ut diximus, *Pisonem*, qui Calpurnius Frugi est, cuius ætatem indicat *in Bruto cap. XXVII.* quia hic primus legem de repetundis, quæ *Calpurnia* inde dicitur, L. Censorino & M. Manlio coss. tulit, hoc est anno urbis 1005. Annales ei *exiliter scriptos*, ibidem tribuit. Proximus huic L. Cassius Hemina, quem ludis sæcularibus quartis interfuisse anno urbis 1008. celebratis, CENSORINVS testis est *cap. XVII.* Laudatur a variis, PLINIO, GELLIO, MACROBIO, NONIO aliisque. Posteriores fuisse L. Sisenna, Q. Claudius Quadrigarius, Q. Valerius Antias. VELLEIVS PATERCVLVVS *lib. II. cap. 9.* de Numantino bello & proximis temporibus: *historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuuenis; sed opus belli ciuiliis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna Cælius: æqualis, Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, & Valerius Antias.* o)

§. VII.

o) Plura de historicis veterum suppeditabunt GER. 10. VOSSIVS *lib. III. de historic. Latin.* alique plures.

§. VII.

Oratores succedunt, quos non ex prima ætate arcessimus, Menenium Agrippam, feditiosam plebem ex sacro monte reuocantem: Appium Claudium Cæcum, pacem cum Pyrrho in senatu dissuadentem: M. Popilium, læna amictum a sacrificio, seditiones itidem oratione sedantem, de quibus LIVIUS lib. II. cap. 32. SILIUS *Italicus* lib. XIII. v. 725. CICERO in *Bruto* cap. XIV; qui, etsi naturali vi persuaserunt populo, quod tamen sine arte dicendi fuerunt, neque oratores dicendi sunt. CICERO d. l. eos oratores habitos esse; aut omnino tum vllum eloquentiæ premium fuisse, nihil sane mihi legisse videor. Non ergo ante bella Punica inueniemus, quos in numero ponamus eloquentium oratorum. Primum autem cum CICERONE cap. XV. ponimus M. Cornelium Cethegum, quem Ennius audiuit, & hoc elogio in nono annali ornauit:

*Additur orator Corneliu' suauiloquenti
Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega.*

Censorius Cato, non orationibus minus, quam originem historicis & de *re rustica* libris clarissimus, huic forte proximus ex iis, quorum nomina memoriæ dicata sunt, successit. *Antiquior quidem est eius sermo, & quedam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, & adde numeros & aptior sit oratio: ipsa verba compone, & quasi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitauerunt: iam neminem antepone Catoni; quod CICERONIS iudicium est*
de

de *clar. orat. cap. XVII.* Post hunc maiori se numero proferebant *C. Lelius* & *P. Scipio Aemilianus*, vterque *Gracchus*, *Tiberius* & *Caius*; *Serpius Galba*, *C. Carbo*, & quos alios eius ætatis laudat *d. l. cap. XXV. seqq. M. CICERO.* Sed omnes fere ingenio & artificio dicendi superarunt *L. Crassus* & *M. Antonius*, quos *TULLIVS* inter se comparavit *de clar. orat. cap. XXXVII.* Horum enim ætas in maioris lucis ortum iam vergebat. *Antonius* enim *Mariana* fœuitia exstinctus est: *Crassus* paullo ante, in morbum ex contentione vocis implicatus, exspirauerat.

§. VIII.

Sic sensim eloquentia in vrbe succreuit, & in dies facta ornatior, ad aliud tempus adspirauit, quo supremam limam *M. Tullius* expoliendæ adhiberet. Mireris vero sub idem tempus, & eodem *Crasso* auctore, *Latinos* rhetoras vrbe expulsos esse, quod sane maximum detrimentum est studiorum & eloquentiæ. *SVETONIVS de clar. rhetor. cap. I.* tradit, a *Cn. Domitio Aenobarbo* & *L. Licinio Crasso censoribus* (qui *Crassus* ipsemet orator est, quem modo laudauimus) ita edictum esse: *renunciatum est nobis, esse homines, qui nouum genus disciplina instituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat; eos sibi nomen imposuisse LATINOS RHETORAS: ibi homines adolescentulos totos dies desiderare. Maiores nostri quæ liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc noua, quæ præter consuetudinem ac morem maiorum sunt, neque placent, neque recta videntur.*

tur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire consueverunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, NOBIS NON PLACERE. Idem GELLIVS lib. XV. cap. II. repetit. Quod si vno anno ante bellum Marficum ita sancitum fuit, minus est, quod admiremur, LXX ante annis, Fannio Strabone & Valerio Messalla consulibus, de philosophis & rhetoribus SC. factum, VTI ROMÆ NE ESSENT, quod ibidem SVETONIVS adnotavit. Sed non est, cur eius nos admiratio, quasi iustam ob causam, subeat. p) Virtus, æquum, integritas adhuc Romanis curæ erant, quo fieri non potuit, ut rhetorum & sophistarum argutiæ & captiones, fictæque ad ius peruertendum controuersiæ ac declamationes placerent. Nam rhetorum disciplinæ, a Græcis inuentæ, multiplex tum abusio erat & turpis deprauatio, cuius rei in declamationibus, quæ supersunt, vestigia videmus. Lactantius, non ignobilis rhetor Nicodemæ, id nos arcanum perdocere expertus ipse & exercitus potest, qui quum ad Christi veritatem litte-
ris

p) Auctor noster senatusconsultum hoc non defendere quidem, id excusare tamen quodammodo eo nomine vult, quod rhetorum ac sophistarum argutiæ captionesque ad ius peruertendum comparatæ fuerint, Romani vero pristinam maiorum suorum integritatem ac iustitiam sancte seruare studuerint. Seuera tamen cum rhetoribus agendi ratio vel eo nomine non excusari potest, quod nullum discrimen inter veram & falsam statuerit oratoriam: conf. IO. NIC. FVNCIVM *de adolescent. lat. linguæ* p. 171. IS. CASAVBONVM & SAM. PETISCVM *not. ad Sueton. de illustr. grammaticis*, ac interpretes GELLII lib. XV. *noct. Attic. cap. II.*

ris mandandam se contulisset, de se dicit *lib. I. diu. instit. cap. 1*: *quæ professio multo melior, utilior, gloriosior putanda est, quam illa oratoria, in qua diu versati non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam iuvenes erudiebamus.* Scilicet ita est: senatusconsulto illo & edicto censorio non vera eruditio, aut sincera oratoria, sed fraudulenta & captiosa, quæ legibus insidiatur, & usum forenses peruertit, expulsam prisca Romani, cordatissimi mortales, voluerunt, quod recte & ordine censemus factum, quia nihil pestilentius virtuti est & innocentiae, quam illas fraudes in republica tolerare, & ad eas instituere iuventutem.

§. IX.

Veram autem philosophiam & iuris scientiam, ad usum ciuitatis & reipublicæ comparatam, nec prisca Romani neglexerunt. Testes clarissima nomina, a POMPONIO *lege II. de orig. iuris* laudata, *Acliorum, Scaeuolarum, Semproniorum*, aliorumque, quorum opus interpretatione erat ad forenses eloquentiam stabiliendam. Quod enim Q. Mucius apud POMPONIVM *d. l.* dixit: *turpe est causas oranti, ius, in quo versatur, ignorare.* Nec minus philosophia, præsertim illa, quæ de moribus & officio animique characteribus agit, ad eloquentiam excolendam opus erat. Eiusdem usum in eloquentia, ipsius CICERONIS voce ex libro, quem *Oratorem* præscripsit & M. Bruto dedicauit, *cap. III.* demonstramus: *fateor, inquit, me oratorem, si modo sim, aut etiam, quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academia spatii existisse.*

tisse. Dicendum enim in republica est de bello, pace, fœderibus, & principum civiumque communi salute, de moribus & cupiditatibus hominum, & infinitis id genus aliis, quæ sane non ieiuni rhetores explicabunt, sed omnibus rebus instructi philosophi ex penu sua promunt & suppeditant. Non ergo veteres Romani sine philosophia fuerunt, quia non fuerunt sine arte oratoria; neque tamen ita tum exulta, ut inde a Ciceronis temporibus, fuit. Ipse lib. IV. Tuscul. quæst. cap. 3: sapientiæ, inquit, studium vetus id quidem in nostris; sed tamen ante Lælii ætatem & Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim. Et lib. I. Tuscul. cap. 3: philosophia iacuit usque ad hanc ætatem; nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum. q)

SECT. II.

DE ROMANORVM STUDIIS POST SVLLANA TEMPORA.

§. I.

HACTENVS de studiis ante Ciceronis tempora, sub

q) De disciplinis philosophicis ac præcipue arte logica veterum Romanorum videndi sunt: BARTHOL. KECKERMANNVS tract. II. præcognitor. logicor. cap. 2. §. 18. p. 13. ADAMVS BURSIVS in raro libro, qui inscribitur Ciceronis dialectica: GER. IO. VOSSIVS lib. IV. de natur. artium, cap 7. §. 21. seq. tom. III. operum, p. 216. PAGANINVS GAUDENTIVS tract. de philosophiæ apud Romanos initio & progressu: CHRIST. FALSTERVS quæstion. Rom. p. 249. venerand. pater histor. logic, lib. II. part. I. sect. I. §. 18.

p. 550.

sub quibus nitidiorem faciem omnia induerunt. An vero, quæ antecessit, ætas inter Punica bella & Ciceronem, *semibarbara* dicenda sit, quæris? Ait SAM. BOCHARTVS, vir clarissimus, *epistola de Aeneæ navigatione*, quod ita OLAVS BORRICHVS, principio *analectorum*, negat, ut aureum contra & illa ætate sæculum litterarum ac Latinitatis fuisse, existimet. Nos viam mediam tenemus, & aurum quidem illis temporibus inueniri concedimus; at rude plerumque & impolitum, quod Ciceronis ætate poliri splendidius cœpit, & ab ipso nitidissime expolitum est. Pretium ergo erit, ab ortu melioris sæculi Romanorum studia maiori cura & a pueris vsque perlustrare, ut totus cursus eorum litterarius, quantum fieri potest, ac nobis nunc suppetit, & e re instituti nostri est, ante oculos proponatur.

§. II.

Quæ fuerit ratio educationis & institutionis apud Romanos, pulchre docet *auctor de causis corruptæ eloquentiæ cap. XXVIII.* videlicet non in cella emæ nutricis, sed in gremio ac sinu matris educatos filios fuisse; r) in partem curarum ad-

p. 550. eius *parerg. academ.* IAC. BRVCKERVS *hist. crit. philosoph. period. I. part. I. lib. 2. cap. 10. tom. I. p. 342. & period. II. part. I. lib. I. tom. II. p. 1. alii- que.*

r) Elementa litterarum prima pueri & puellæ in contubernio matris hauriebant; imo parentes ipsi, quibus filiorum educatio curæ cordique erat, in se docendi munus suscipere, liberos suos summa industria erudi-

re

adhibitis, quorum probatis spectatisque moribus soboles familiæ committeretur, coram quibus nec dicere fas esset, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Quæ disciplina ac seueritas eo pertinebat, vt sincera puero- rum natura, nullis detorta prauitatibus ex aliorum exemplo, toto statim pectore in virtutem & honestas artes incumbendi, locum haberet. Sic plerumque domi, & in contubernio matris, elementa disciebantur, s) quibus adreptis, extra limen pro-

re & ad maiora conficienda spatia præparare solebant, cuius rei CICERO *de clar. orat. cap. XXVII. & cap. LVIII. lib. VIII. ep. 4. ad Attic. & lib. II. ep. 14. ad Quint. frat.* CORN. NEPOS *vit. Attic. cap. I. & TACITVS vit. Agricol. cap. IV. §. 3.* testes sunt.

s) Nec parentes solam informandæ pubis curam in se suscipiebant; sed & præceptoribus utebantur, qui non solum priuatim, sed & in multorum conuentu pueris prima litterarum fundamenta, artem nimirum legendi, scribendi & numerandi tradebant, antequam illi extra limen ad scholas grammaticorum mittebantur: quemadmodum hoc EXLIVIO *lib. III. cap. 44. lib. V. cap. 27. lib. VI. cap. 25.* & DIONYSIO *Halicarnasseo* discimus. Vocantur hi præceptores *ludimagistri* ab ASCONIO aliisque: ab AVGVSTINO *primi magistri*: a VOPISCO *pædagogi litterarii*: a TACITO *magistri litterarii*: a IVL. CAPITOLINO *magistri ad prima elementa*: ab AMMIANO MARCELLINO *litteriones*, quemadmodum IO. WOWERIVS *de polym. p. 35.* & CONR. BVDDÉ *diff. de stud. liberal. apud vet. Rom. p. 18. & 19.* docent. Ab his ludimagistris grammatici erant diuersi; ad quos se pueri conferebant post ludimagistrorum institutionem. Ab utrisque & ludima-

Cellar. Antiquit.

E e

gi

producti, vt grammaticum Græcum & rhetorem Latinum audirent. Nam in scholis & multorum conuentu malebant suos, quam priuatim & singulares institui, vt æmulatione ingenium accenderetur, & certatim promouendo maiores progressus facerent. Quod enim vere PATERCVLVVS dixit *lib. I. cap. 17: alit æmulatio ingenia, & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit: sine qua si relinquitur adolescens, torpet, marcescit, aut pestifero errore sibi plus attribuit, quam didicerat, quod qui plura scirent, inter æquales nondum cognouit. Quæ morum integritati ex cætu obiiciuntur, QVINTILIANVS lib. I. cap. 2. confutat, ad quem lectorem remittimus. Nobili exemplo est T. Pomponius Atticus, qui, NEPOTE teste, in pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariusque exsplendescbat, quam generosi con-*
disci-

gistris & grammaticis differebant pædagogi, quibus correctio morum iuuenilium committebatur: coram quibus nihil aut facere, aut dicere fas erat, quod turpe atque inhonestum videbatur, quique pueros in scholam ducere debebant: vid. IAC. PERIZONIUM *not. ad Aelian. lib. III. var. hist. cap. 21. p. 232.* Quemadmodum pueri a pædagogis, sic puellæ a nutricibus suis duci solebant, vt LIVIVS *lib. III. cap. 44.* testatur. Discrimen hoc satis THEON. *Sophista in exemplis ad progymn. p. 121. ed. Camerar. monstrat, cui inscriptiones apud GRVTERVM p. DLXXXV. num. 7. & p. DCLII. num. 8. HORATIVS lib. I. sat. 6. ac PLINIVS lib. III. ep. 3. adiungendi sunt.* Ii, qui pueros prima litterarum fundamenta docebant ac moribus eorum præerant, haud raro seruilis erant conditionis, vt fusiVS LAVR. PIGNORIVS *de seruis p. 116. seq. docet.*

discipuli animo aequo ferre possent. Itaque incitabat omnes studio suo. Hinc est, quod cap. V. eum cum M. Cicerone a condiscipulatu coniunctissime vixisse tradit. Plinius quoque Corelliae Hispullae, nobili feminae, consulturus, cui filium praepceptori tradat, a quo mores non minus, quam eloquentiam discat: adhuc, inquit, lib. III. ep. 3. illum pueritiae ratio intra contubernium tuum tenuit, praepceptores domi habuit, - - - iam studia eius extralimen proferenda sunt, iam circumspiciendus rhetor Latinus, cuius scholae severitas, pudor imprimis, castitas constet. 1)

E e 2

§. III.

1) De ipsis scholis veterum Romanorum quaedam addenda sunt. Istaerant vel *privatae*, vel *publicae*; quarum illae sine publica auctoritate a quoque pro suo arbitrio institui, atque in aedibus privatis, theatris, basilicis, foris, diuitum aulis, immo templis & hortis haberi potuerunt, quemadmodum GVID. PANCIROLLVS *descript. urb. Rom. tom. III. thes. ant. Rom. Graevii p. 334.* FRANC. BERNARD. FERRARIUS *de adclam. & plaus. lib. III. cap. I. tom. VI. indicati thes. p. 90.* GOTTFR. OLEARIVS *not. ad Philostrat. p. 479. & 619.* EZECH. SPANHEMIUS *tom. II. operum, p. 1367.* observant. *Publicae* scholae publica constitutae erant auctoritate, assignatis iis, qui in illis docebant, magnificis stipendiis & salariis, ut ex IVL. CAPITOLINO *vit. Ant. philosoph. cap. XI.* EVMENIO *rhetore orat. pro restaur. scholar. cap. XI. §. 2.* PHILOSTRATO *de vit. sophist. lib. II. §. 2. p. 566.* aliisque patet. Ipsae publicae scholae erant *athenaeum*, *capitolium*, ac *pergulae magistrales*. De athenaeo, ab Adriano, summo litterarum amatore, constituto, deque habitis in illo scholis publicis, AVREL. VICTOR *de caesar. cap. XIX.* DIO CASIVS

§. III.

Princeps Romanis studium *eloquentiæ* erat, quam philosophiæ & iurisprudentiæ anteferebant. Seruius itaque Sulpicius, quum videret, Cicero- nem Hortensiumque eloquentia vinci non posse, ad iuris scientiam, impensius colendam, sese con- tulit, vt CICERONI *de clar. orat. cap. XLI.* visum fuerit, *in secunda arte primum esse maluisse, quam in prima secundum.* Quum itaque primas Romani eloquentiæ deferrent; neque aliter per amplissimi sui

SIVS *lib. LXXIII.* LAMPRIDIVS *vit. Alex. Seueri cap. XXXV.* & CAPITOLINVS *vit. Pertin. cap. II.* testantur, quibus IAC. SIRMONDVM *ad Sidon. lib. II. epist. 9.* ISAAC. CASAVBONVM *ad Capitol. indicatum locum* & IO. FRIDER. GRONOVIVM *diff. de museo Alexandrino* addas. De capitolio ac in illo a tribus orato- ribus, deceim grammaticis & quinque sophistis tem- pore Theodosii II. institutis scholis HERM. CONRIN- GIVS *antiqu. academ. diff. I. p. 22. & diff. de studiis li- beral. urb. Rom. p. 13.* consulendus est. Pergula erat pars domus exprorecta & propendens, in qua artifices se exercere & res venales exponere solebant; quumque in eiusmodi pergulis & magistri docerent, inde istæ *pergulae magistræ* adpellatæ sunt: vide SVETONIVM *de illustr. gramm. cap. XVIII.* VOPISCVM *vit. Saturn. cap. X. & leg. III. cod. Theodos. de stud. libert. urb. Con- stant.* ex recentioribus autem CLAVD. SALMASIVM *not. ad Vopiscum memorato loco:* ADR. TURNEBVM *lib. VIII. aduers. cap. I.* IAC. CUIACIVM *lib. XI. obs. 13.* & SAM. PITISCVM *not. ad Suetonium p. 363.* In scholis docentes sedebant; discentiumque erant di- versi ordines, cum pro scientiæ ac cognitionis modo, tum pro ætatis varietate. Consulas LVD. CRESOLLI- VM *theatr. rhetor. lib. IV. cap. 10.*

fui imperii formam possent; ad illam omne studium a pueris referebant. Prima autem cura litterarum Græcarum fuit, quæ non minus olim, aut magis etiam necessariae erant, quam hodieque Latinæ sunt; ut auspiciam fieret ab Homero, cuius præceptis atque exemplis puerile pectus ad virtutem præpararetur. *PLINIVS lib. II. epist. 14. dixit, pueros auspicari ab Homero in scholis.* Huic Menander, Euripides, Sophocles adiungebantur: dein historici, Thucydides, Herodotus, Xenophon, Polybius. u)

Ee 3

lofo-

p) II, qui in scholis pueris ad intelligendos veteres scriptores, tam historicos, quam poetas, aditum patefaciebant eosque interpretabantur, *grammatici* vocabantur, hique triplicis generis apud Romanos erant. Alii dicebantur *grammatici technici*, eorum ars *τεχνική*, siue *μεθοδική*, atque hi artis præcepta ita docebant, ut monstrarent, quomodo recte legi & scribi debeat, quid nomen, quid verbum, quid pronomen, aduerbium cet. in oratione sit, & quæ his sunt similia. Alii *grammatici historici*, siue *exegetici* dicebantur, qui ipsas res, ab auctoribus traditas, ex historiarum atque antiquitatum fontibus illustrabant: alii denique *critici* fuerunt, quorum industria præsertim in emendandis corruptis locis, remouendis glossematibus, ac secernendis germanis libris ab adulterinis posita fuit. Lege de hoc grammaticorum discrimine *PHIL. IAC. MVSSACVM diff. crit. in Harpocrat. lex. p. 381. GERARD. IO. VOSSIVM lib. I. de arte grammat. cap. 6. IO. WOWERIVM de polymath. cap. VIII. IO. NIC. FVNCIVM de virili etate lat. lingu. p. 34. & PETR. BURMANNVNVM iuniorum not. ad Henr. Valesium de crit. lib. I. cap. I. p. 144.* Ad horum grammaticorum institutio-

nem

lofopho dabant & rhetori, vt in illius fchola dif-
ferendi artem, in huius declamandi exercerent,
& vtramque Græce magis quam Latine, quod illa
lingua omnium disciplinarum præcepta tradeban-
tur, & in illa qui artis peritus erat, facili labore
ad patrium fermonem eandem adplicaret; non
autem viciffim, qui Latine prius declamauerat,
ad Græcam æque orationem adducebatur. CICE-
RO de fe in *Bruto* cap. XC: *commentabar declami-
zans, fepe cum M. Pifone, & cum Q. Pompeio,
aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum
etiam Latine, fed Græce fepius, quod Græca oratio,
plura ornamenta fuppeditans, confuetudinem simili-
ter Latine dicendi adferebat. Quid? quod idem
fummus orator ad præturam vsque Græce decla-
mauit, vt SVETONIUS de clar. rhetor. cap. I.
oftendit. Quum ergo nobis Latina lingua eodem
vfu fit, quo prifcis Romanis fuit Græca; non pro-
bamus illorum confuetudinem, qui in fcholis
fuos Teutonicis declamationibus exercent, ante-
quam Latine fcribere fecundum artem & decla-
mare*

nem Romani iuuenes ftudiofe & diligenter veterum
Græcorum monimenta legebant: ea, quæ notatu di-
gna videbantur, obseruabant, & in primis eorum tam
fcribendi indolem, quam rerum tractandarum modum
imitari solebant. Sic Cicero Demofthenem, Terenti-
us Menandrum, Salluftius Thucydidem, Virgilius
Hefiodum & Homerum, Tacitus & Liuius Polybium
imitati funt. Idem & in Latinis fcriptoribus tenta-
bant, quemadmodum de Terentio, Silio Italico & Cor-
nelio Seuero conftat, quorum hic Manilium, ille Vir-
gilium, & ifte Plautum ad imitationem fibi propofuit.

Sect. II. de Rom. stud. post Sull. temp. 439

mare didicerint. Exemplis enim comprobatum fuit, illos raro (ne dicam, numquam) ad Latinitatis nitorem postea peruenire.

§. IV.

Sic, quum in patria pueritiam, quidam etiam in Græca ciuitate ob faciliorem Græcæ linguæ vsum, vt Massiliæ Agricola ForoIuliensis, cuius vitam Tacitus scripsit, exegissent; toga virili sumta, in castra profecti stipendia merebant, etiam, quibus animus non esset ad fastigium ducis aliasque militiae dignitates enitendi, ne postea senatores, aut proconsules, ignari essent rerum bello gerendarum. Nec vero in castris intermissa studia litterarum, quum nec ipsi summi duces sibi temperarent, quin, si diurnis horis non liceret, noctis tamen partem quandam litteris vindicarent. De Octauiano Cæsare testis est iterum SVETONIUS dicto *de rhetoribus libro cap. I*; de PLINIO ipsemet *lib. I. epist. 10*: *hunc, inquit, Euphratem philosophum, ego, in Syria, quum adolescentulus militarem, penitus & domi inspexi, amarique ab eo laboraui. Et lib. III. epist. 11: Artemidorum, alium celebri nomine philosophum, ipsum iam tum, quum in Syria tribunus militarem, arcta familiaritate complexus sum, idque primum nonnullius indolis dedi specimen, quod virum aut sapientem, aut proximum simillimumque sapienti intelligere sum visus. x)* Omnibus in bellum proficiscendum erat,

E e 4

etiam

x) Romanos in ipsis castris ludos litterarios instituisse, locuples testis est SVETONIUS *vir. Caligul. cap. XLV.* cui IAC. PERIZONIUM *not. ad Aelian. lib. III. var. hist. cap. 21. p. 233.* addas.

etiam omnibus sectanda litterarum studia; nec in claris Romanis exemplum fuit, quin vtrumque studium coniunxerit, præter C. Marium, facem illam ciuiliis belli, cuius, ceteroqui Marte clari, vox barbara apud SALLVSTIVM *Inq. cap. LXXXV.* est: GRÆCAS LITTERAS NON DIDICI; quod etiam non iuranti credideris, quia nihil cultum moratumque in vita eius fuit; neque potuit sine litteris esse: sed sæua, truculenta omnia, ideoque misero excessu, quem Plutarchus descripsit, post tot honores opesque septies consul, quod nemini ante ipsum contigerat, summa perturbatione animi & inter eiulationes, indignas viro, extinctus est. Quas vero ipse spreuerat litterarum disciplinas, quasi ominatus infelicitatem suam, filium perdiscere non recusauit, qui inter Pomponii Attici æmulantes condiscipulos, cum Torquato & Cicerone, a CORN. NEPOTE *in vita Attici cap. I.* numeratur.

§. V.

Qui non perpetuam militiam elegissent, ex bello post alterum tertiumue annum reuersi, Latino se oratori dediderunt, quem assidue sectarentur, & dicendi artificium & causas agendi ex illo discerent, y) a quo etiam in forum producebantur,

y) Idem confirmat auctor dialogi *de causis corruptæ eloquentiæ cap. XXXIV.* p. 841: ergo, inquit, apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat. Hunc sectari,

Sect. II. de Rom. stud. post Sull. temp. 441

tur, PLINIUS lib. II. epist. 14. num. 3. ut periculum facerent eloquentiæ, adcusando aliquem,

E e 5 vel

sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus adsuebat, ita ut altercationes quoque excipere & iurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in prælio disceret. Et paullo post: igitur vera statim & incorrupta eloquentia imbuebantur, & quamquam unum sequerentur, tamen omnes eiusdem ætatis patronos in plurimis & causis & iudiciis cognoscebant, habebantque ipsius populi diuersissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehendebatur, quid in quoque vel probaretur, vel displiceret. Vario modo ad id enitebantur, ut in dicendo & vim & facultatem sibi compararent, & uti in eloquentiæ studio diuersa ratione ingenium exercebant; ita sæpe perorarunt, in quibus orationibus vel ficta, vel vera tradebantur: ficta, progymnasmatibus ac declamationibus; vera autem in orationibus proprie sic dictis. Initium iuvenes a progymnasmatibus facere solebant, quæ & alias dicendi primordia ac dicendi elementa vocantur, & postquam in iis facultatem sibi adquisuerant, ad declamandum sese accingebant. Ipsæ declamationes, pro tribus causarum speciebus, triplicis erant generis, vel panegyricæ, vel suasoriæ, vel controuersivæ; quarum hæ in iudiciali genere, illæ in deliberatio, istæ vero in demonstratiuo versari solebant. Quemadmodum vero declamationes suasoriæ a minus exercitatis suscipiebantur; ita controuersivæ ad matura pertinebant ingenia. Atque in eiusmodi dicendi exercitiis tamdiu versabantur, donec sibi facultatem comparaerant, in ipsis iudiciis ac foro publice periculum eloquentiæ faciendi, & adhibitis prudentis atque exercitati viri consiliis, primam suscipiendi causam: conf. LVD. CRESSOLLIVM theatr. rhetor. lib. III. & IV. GER. IO. VOSSIVM de rhetoricæ natur. & constitut. cap. XVI. & venerand. patrem diss. de variis modis litteras colendi apud vet. Rom. p. 63. eius parerg. academ.

vel defendendo in caussa illustriori. Exemplum
 PLINIVS idem præbet *lib. VI. epist. 23.* Quo
 vero magis perficerent exornarentque, quæ bene
 cœpta erant, studia, vel tum, post ingressum in
 forum, vel antea etiam, vel quodocunque oc-
 casio in bello, in prouinciis, vel alia se ostendit,
 in Græcas litterarum sedes profecti, vt inclutos
 viros audirent, eorumque exemplo ac consuetudi-
 ne & se & suam doctrinam confirmarent. Athe-
 næ præcipue, & Apollonia ad mare, & in cite-
 riore Asia Rhodus ac Mitylene erant, aliæque in
 Asia nobiles tum litterarum sedes. Exempla sint
 interpretamento. CICERO de se ipse testis est
 sub finem *libri de claris oratoribus*, quum esset
 biennium versatus in caussis, & iam in foro cele-
 bratum eius nomen esset, Athenas profectum,
 sex menses cum Antiocho, veteris Academiae phi-
 losopho, fuisse, studiumque philosophiæ, num-
 quam antea intermissum, hoc summo auctore re-
 nouasse. Eodem tempore Athenis apud Demetri-
 um Syrum, nobilem dicendi magistrum, se stu-
 diose exerceri solitum. Post, Asia tota peragra-
 ta, vbique inuenisse, quibuscum exerceretur lu-
 bentibus, quod promptissimi adessent ei discendi
 cupido, Dionysius Magnes, Aeschylus Cnidius,
 Adramytenus Xenocles, qui tum principes rhe-
 torum in Asia numerabantur; cum primis au-
 tem Menippum Stratonicensem, tota Asia illis tem-
 poribus disertissimum, admiratus fuit, de quo
 ita iudicauit: *si nihil habere molestiarum, nec in-
 eptiarum, Atticorum est; hic orator in illis nume-
 rari*

rari recte potest. Non contentus hisce, in Rhodum nauigauit, & Moloni, quem Romæ audierat, se rursus applicando, didicit egregio hoc magistro, iuuenilem orationis abundantiam intra ripam coercere. Romam inde regressus, Cottæ adhæsit & Hortensio, sed huic magis, summis tum in vrbe oratoribus, vt horum exemplo suam confirmaret eloquentiam. Iuris autem ciuilis causa Q. Mucio Scæuolæ, P. F. multum operæ dedit, qui, quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. z)

§. VI.

Hoc iter fuit Ciceronis litterarium, quam diuersum ab iis, qui vulgo peregrinantur, non discendi causa, sed voluptatis conquirendæ, qui, quod ruditatem suam, quoque eunt, circumferunt, nihil eos iuuat terrarum nouitas: nihil cognitio urbium locorumque antea inuisorum: nihil ædificia vidisse splendida, equorum stabula in aulis perlustrasse, diuersicolori famulitio principum suos oblectasse oculos. Virtus, eruditio, in oculis, in animo sint peregrinantium, vt vbique obseruent, quod vtramque alat & augeat, & quouis loco recordentur, qui clari viri vestigia ibi impressa reliquerint: quid actum honeste, quod
imi-

z) De peregrinationibus litterariis veterum Romanorum vide GEORG. NIC. KRIEGKIVM *diatr. de peregrinat. Rom. academ.* 10. IOACH. ZENTGRAVIUM *diff. de peregr. academ.* 10. NIC. FVNCCIVM *de viril. ætate lat. lingu. part. I. cap. I. §. 23.* & venerandum patrem *dissert. memorata p. 68.*

imitamento virtutis & augendæ eruditioni esset. Huc, nisi peregrinantis animus vertatur, in utroque genere antea præparatus, ut discat, qui mores hominum, quæ virtutes, quæ scientiarum ornamenta sint: frustra iter ingressus est, & vitiis cumulator redit domum, quia virtutem peregrinorum neque cognouit, nec sibi conciliauit.

§. VII.

Hæc studia tum in vrbe erant: hæc urbanorum in peregrinatione. Adde de bibliothecis, a) quæ publici iuris ut essent, fero institutæ sunt; priuatæ autem pæne multæ & illustres instar publicarum, eruditorum vsui sine inuidia patebant. Aemilius Paullus, victo Perse, ingentem vim librorum e Macedonia Romam attulit; neque non e Ponto & Asia L. Lucullus. De Paulo ISIDORVS *orig. lib. VII. cap. de bibliothecis*: de Lucullo PLVTARCHVS *in vita*. Huius ut magna omnia erant post victoriam; ita etiam bibliotheca. PLVTARCHVS p. 519. de illa bibliotheca: ἤτε χρῆσις ἦν φιλοτιμοτέρα τῆς κτήσεως, ἀνειμένων πᾶσι τῶν βιβλιοθηκῶν, *usus, quam comparatio, liberalior erat, quod omnibus paterent eius bibliotheca, & vndecumque aduenissent eruditi, in eas earumque περιπάτους καὶ σχολαστήρια,*
i. e.

a) De bibliothecis scriptores collegerunt iunctimque ediderunt IOACH. IO. MADERVS, Helmst. MDCLXVI. & post illum IO. ANDR. SCHMIDIVS; quibus alii, A SAM. PITISCO *lex. ant. Rom. tom. I. p. 276.* & IO. ALB. FABRICIO *bibliograph. antiqu. cap. XXI. memorati, adiungi possunt.*

i. e. *ambulationes* se conferebant, ὡσπερ εἰς μουσῶν τι κατὰ γῶγιον, *tamquam in Musarum diuersorium.* Pluratio numero βιβλιοθηκῶν dixit, quia non tantum in vrbe, sed in villis etiam instruxerat. Præter urbanas enim bibliothecas, generosissimus quisque Romanus in singulis villis suis bibliothecam constituerat, vt, quoties in illas secessissent, b) liberius ibi, ab vrbis strepitu & interpellationibus vacui, operam optimis litteris darent. CICERO *de finib. lib. III. cap. 2: in Tusculano quum essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in eius villam, vt eos ipse, vt solebam, inde promerem. Quo quum*
 ve-

b) Quando a strepitu urbano remoti atque a negotiis publicis ac curis paullulum vacui esse volebant Romani, ad suas villas se conferebant, quæ plurimam partem ad mare positæ, & omnibus rebus, quæ magnificentiam, splendorem atque amœnitatem augent, instructæ erant. De hoc secessu testatur SVETONIUS *vit. Aug. cap. LXXII. vit. Caligul. cap. XLV. STATIVS lib. IV. silu. 4. v. 12.* Ibi non solum animi recreandi causa modo talis, modo aliis ludorum generibus tempus consumebant, auctoribus SVETONIO *vit. Aug. cap. LXXXIII. §. 2.* & CICERONE *de oratore lib. II. cap. 6.* sed etiam litteris sese consecrabant, libros legebant, ac cum eruditissimis viris, inuitatis, disputabant; quemadmodum ex variis PLINII locis, nominatim *lib. I. epist. 13. lib. III. epist. 7. & lib. VII. epist. 25.* & ex CICERONE *lib. III. de fin. cap. 2.* aliisque auctoribus discimus. Vide præ multis aliis GEORG. GREENIVM *de rusticatione veterum Romanor. tom. I. thes. Sallengriani p. 690. seq.* vbi copiose non solum de villis veterum Romanorum, sed etiam de eorum in illas secessu disputat.

venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem multis circumfusum Stoicorum libris. Et PLINIUS lib. III. epist. 7. de Sillio Italico: plures villas possidebat, multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum. Nam & hæc ornamenta in bibliothecis ponebantur. Idem lib. IV. epist. 28: Herennius Seuerus magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis & Titi Cassii. MARTIALI lib. VII. epigramm. 17. huius generis villatica est ruris bibliotheca delicati. c)

§. VIII.

c) Bibliothecarum tam publicarum, quam priuatarum adparatus longe maiores efflagitabat sumtus, quam nostra ætate. Libri a librariis describendi erant, & quoniam plurimam partem isti mendose scribebant, accurate exarati libri maximi habebantur pretii. Plura de libris veterum, eorumque ratione ac modo eos vel conuolendi vel compaginandi, suppeditant: CLAUD. SALMASIUS de modis vsurar. cap. X. exercit. Plin. p. 278. & 706. & ad VOPISCVM Firm. cap. III. LEO ALLATIVS prolegom. ad libr. de patria Homer. p. 20. THOM. BARTHOLINVS de legend. libr. p. 20. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS dissertat. de ornamentis libror. veterum, & IO. NIC. FVNCIUS de scriptur. veterum, vbi erudite cap. I. de prima scribendi origine: cap. II. de materia, in qua scripserunt: cap. III. de graphio & calamo: cap. IV. de pictura & coloribus litterarum: cap. V. de litterarum formis: cap. VI. de libris: cap. VII. de librariis, & cap. VIII. de bibliothecis veterum differit. Summam adhibebant veteres Romani industriam, vt libros, quos vel describendos curauerant, vel descriptos coemerant, ad suum
vsum

§. VIII.

Sed hæc de priuatis bibliothecis. Publicæ, vt dixi, fero constitutæ, nec ante Augusti tempora.

Eius

vsus rite conuerterent. Studiose eos legebant, & quæ memoria atque obseruatione digna videbantur, adnotabant, vel excerpebant, vti ex PLINIO *lib. III. epist. 5.* & *lib. VI. epist. 20.* ex GELLIO *lib. IX. noct. Attic. cap. 4.* & SENECA *epist. CVIII.* patet. Vtebantur hanc in rem certis signis, quæ ad loca vel probanda & laudanda vel culpanda adponebant: cuiusmodi signa apud grammaticos & criticos veterum Romanorum potissimum vsitata erant, quemadmodum de obelo ordinario, obelo ἀνωσυμβέλιον, metobelo, asterisco, lemnisco, antistigmate, antigrapho, litteris L. LL. X. XP. Θ. Φ. T. Λ. aliisque multis constat; de quibus ex veteribus HEPHÆSTIO, PHILOXENVS, DIOGENES *Cyzicenus*, SVETONIVS, quorum libri omnes perierunt, item ORIGENES, EPIPHANIVS, ISIDORVS, ex recentioribus autem AEGID. MENAGIVS & ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Laertium p. 161. & 203.* IO. WOWERIVS *polymath. cap. XVII.* SCALIGER *not. ad lib. I. Varronis de re rust. BERN. DE MONTFAUCON palæograph. Græc. p. 34.* ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVS *diss. de veterum criticor. σημειώσεις*, quæ in eius *diss. academ. p. 215.* & CREBNI *lynt. II. diss. phil. p. 283.* exstat, egerunt. Nec solum ipsi legebant libros, ac ea, quæ ad vsus suum pertinere arbitrabantur, obseruabant; sed etiam pueros adhibebant, quibus prouincia commissa erat, inter epulas, vel alio etiam tempore, ex libris domino prælegendi, ex quo munere & nomen acceperunt suum, & *anagnostæ* ac *lectores* adpellati sunt: vid. NEPOTEM *vir. Attici cap. XIII.* CICERONEM *lib. I. epist. 12. ad Atticum*: PLINIVM *lib. I. epist. 15.* & SVETONIVM *vir. Claudii cap. XXVIII.* ex recentioribus ANDR. TL

R A

Eius rei laus prima manet Asinium Pollionem, de quo PLINIVS ait lib. XXXV. cap. II: *primus, bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.* Idem in animo habuerat Iulius Cæsar, *bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare,* quod SVETONIVS cap. XLIV. memoravit; sed fato præventus, nihil perfecit. Augustus autem Cæsar duas legitur constituisse publicas, *Octaviam* in Octaviæ porticu, in sororis honorem nominatæ, & *Palatinam* iuxta ædes suas & Apollinis templum in monte Palatino. DIO CASSIVS lib. XLIX. p. 417: *Ἐπειδὴ δὲ οἱ Δαλμαῖται παντελῶς ἐκεχέρωντο, τὰς τε σοῦς ἀπὸ τῶν λαφύρων αὐτῶν καὶ τὰς ἀποθήκας τῶν*

RAQVELLVM not. ad Alexandr. ab Alexandr. lib. II. *genial. diar. cap. 30.* ERYCIVM PVTEANVM *reliqu. conuiu. prisc. tom. XII. thes. ant. Rom. Grævii, p. 258.* LAVR. PIGNORIVM *de seruis p. 108. interpretes Plinii ad lib. VIII. epist. 1. & NEPOTIS loco memorat.* IO. FRID. GRONOVIVM lib. I. *obs. 22. & alios apud venerand. patrem diss. de variis modis litteras colendi apud vet. Rom. p. 29. & IO. ALB. FABRICIVM bibliogr. antiquar. p. 623.* De singulari industria Romanorum eruditorum, quæ tanta fuit, ut & noctis partem litterarum studiis consecrarent, supra exposui. Ut eo melius lectioni ac meditationi se tradere possent, habebant singulares *lecticulas*, seu *lecticulos lucubratorius*; qui vero ab aliis lectis haud multum differebant: vide PLINIVM lib. V. *epist. 5.* SVETONIVM *vit. Aug. cap. LXXVIII.* & OVIDIVM lib. I. *trist. eleg. 10. v. 37.* ex recentioribus ISAAC. CASAVBONVM & SAM. PITISCVM not. ad Suetonii indicatum locum, & IO. SCHEFFERVUM *de re vehicul. lib. II. cap. 5. p. 113.*

Sect. II. de Rom. stud. post Sull. temp. 449

τῶν βιβλίων τὰς Ὀκταεῖαναις, ἀπὸ τῆς ἀδελ-
 φῆς αὐτῆ κληθεΐσας, κατεσκευάσεν, *deuictis*
Dalmatis, porticus e manubiis, & bibliothecas, a
sororis nomine Octauianas dictas, exstruxit. Et
 SVETONIVS *grammat. cap. XXI. in Caio Melisso:*
quo (Augusto) delegante curam ordinandarum biblio-
thecarum in Octauiae porticu suscepit. Cur autem
 pluraliter *bibliothecarum?* quia Græcam a Latina
 distinguebant. M. CICERO *lib. III. epist. 4. ad Q.*
fratrem: de bibliotheca tua Græca supplenda, libris
commutandis, Latinis comparandis, valde velim ista
confici, præsertim quum ad meum quoque usum spe-
ctent. Quod clarius supra SVETONIVS de cogita-
 tis Iulii Cæsaris distinxit, & de altera Augusti, in
vita eius cap. XXIX: templum Apollinis in ea parte
Palatinae domus excitauit, quam fulmine ictum deside-
rari a deo haruspices pronuntiarant. Addidit porti-
 cus cum bibliotheca Latina Græcaque. Hanc idem de
 clar. *grammat. in C. Iulio Hygino cap. XX. Palati-*
nam dixit. Præfuit, inquit, Palatinae bibliothecæ.
 Vtraque Augusti deflagrauit: Palatina, ἐμπρησµῆ
 τὸ παλάτιον διαφθεῖραντος, incendio palatium con-
 sumente, DIO CASSIVS *lib. LV. p. 556.* sed breui
 post reparata. Hinc SVETONIVS *Tiber. cap.*
LXXIV. bibliothecam noui templi dixit. Altera,
 Octauia, flagrauit sub Tito. DIO p. 756: Ὀκτα-
 οῦια οἰκήματα καὶ μετὰ τῶν βιβλίων κατέκαυσεν,
 Octauiana ædificia, una cum libris, igne consumta
 sunt. Restituit Domitianus. SVETONIVS *in vita*
eius cap. XX: liberalia studia in initio imperii negle-
xit, quamquam bibliothecas, incendio absuntas,
 Cellar. Antiquit. Ff im-

impensissime reparare curasset, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque. Præter Romanas bibliothecas, etiam publicæ erant per Italiam in coloniis ac municipiis, qualem Plinius in patria sua, Comensi ciuitate, dedicauit, *lib. I. epist. 6.* Et TACITVS imperator *Cornelium Tacitum, scriptorem historiæ augustæ, in omnibus bibliothecis collocari iussit, VOPISCO referente cap. X.*

§. IX.

Hoc alimento opus erat præclaris studiis, in altitudinem proferendis, quo etiam sub Augusto Cæsare, & ante paullo, educta feliciter fuerunt. Quantos enim oratores illa ætas vidit Ciceroni æquales, aut paullo iuniores? quis Hortensios, Cæsares, Caluos, Cælios, Brutos, Asiniosque ignorat? Auctor *dialogi de oratoribus cap. XXV: strictior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cælius, grauior Brutus, vehementior & plenior & valentior Cicero; omnes tamen eandem sanitatem eloquentiæ ferunt, ut, si omnium pariter libros in manum sumseris, scias, quamuis in diuersis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem & cognationem.* Nec minores, nec pauciores poetæ, Augusto fauente, adiuuante Mæcenate. Nota sunt nomina, æternitati olim dicata. Quid de philosophia dicam? hæc Cicerone vel magistro vel interprete Latine loqui cœpit, & inter Latinos conuersari, quum antea Græcorum fuisset propria. Historici autem quam nobiles, quam disertis illa ætate! Thucydidis æmulator
Cri.

Crispus Sallustius, Iulius Cæsar, Cornelius Nepos, Hirtius, vel Oppius, T. Liuius Patauinus, & quorum monumenta interierunt, Pomponius Atticus, Pollio Afinius, L. Luceius, Aelius Tubero, Trogus Pompeius, alique horum æquales.

§. X.

Ius quoque ciuile tum illustrius factum luce philosophiæ & litterarum humanitatis, Seruii Sulpicii ingenio, industria, quæ tenebrosa erant antea, clarissime illustrante. Hic facem prætulit: viam monstrauit ad consequendam iuris & æqui cognitionem ac scientiam. Non nostris, sed CICERONIS verbis rem nobilissimam explicabimus. Hic de clar. orat. dialogo, cap. XLI. ita tradit: *de Seruio dicam quod sentio. Non enim facile quem dixerim plus studii, quam illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam & in iisdem exercitationibus ineunte ætate fuimus, & postea vna Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset & doctior, & inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte, iuris prudentia, primus esse maluisse, quam in prima, eloquentia, secundus. Atque haud scio, an par principibus esse potuisset; sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium non eiusdem modo ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in iure ciuili esse princeps. Heic Brutus, ain tu? inquit, etiamne Q. Scauolæ Seruium nostrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, existimo, iuris ciuilis magnum vsum & apud Scauolam, & apud multos fuisse; artem in hoc vno: quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset*

set artem, quæ doceret, rem uniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicarentur, & quæ quibus positæ essent, quæque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea, quæ confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis, sed adiunxit etiam & litterarum scientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspicitur. Hæc via ad iurisprudentiam Romanis fuit: hac grassati ad gloriam illam & excellentem scientiam, quam adhuc pleræque gentes in iuris Romani auctoribus admirantur. Nec otiosus homo fuit Seruius Sulpicius, aut in latebris abditus & speculationibus intentus; sed publicis rebus, si quis alius, exercitatus, prætor, consul, præses prouinciæ Achaïæ, & tandem ob rempublicam legatus in bello Mutinensi, cui immortalis legationi est, ob id ænea statua in rostris, aliisque honoribus post mortem ornatus. Plura de laudibus eius *Philippica* CICERONIS IX. traduntur, ex cuius *cap. 5.* hæc insignia verba superaddo: omnes ex omni ætate qui hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Ser. Sulpicio non sunt comparandi. Neque enim magis iuris consultus, quam iustitiæ fuit. d)

§. XI.

d) De fati iurisprudentiæ Romanæ legantur: IAN. VINCENT.

§. XI.

Hæc de variis generibus studiorum. *Modus* discendi talis erat, vt certe improbari non possit, quia felicem fuisse innumeris exemplis, iisque illustrissimis, probatur. Dixi supra de auspiciis studiorum: addo ex *PLINII lib. VII. epist. 9.* de stili exercitatione, cui quod varia rerum cognitione est opus, magna inde pars eruditionis humanæ pendet. Ait utile in primis esse, *ex Græco in Latinum, & ex Latino vertere in Græcum.* Sic enim proprietatem splendoremque verborum, copiam figurarum, vim explicandi, præterea optimorum imitatione facultatem inueniendi similia parari. Addit, quod instar magisterii est, vt, qui præceptore destituitur, sibi ipse possit consulere: videlicet iubet, *quæ legeris hæctenus, vt rem argumentumque teneas, quasi æmulum scribere, lectisque conferre, ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille commodius.* Legito totam epistolam velim; non pœnitebit. Quæ vero ibidem de stilo censentur, ad nostram patriam & ætatem ita referemus, si pro Græcis Latina, pro Latinis Teutonica substituamus, quamuis nec Græca ad veram eruditionem adspirantibus omittenda sint. Non difficile erit, neque infructuosum, quæ de stilo ibi dicuntur exercendo, ad alia quæuis studiorum genera ap-

Ff 3

pli-

CENT. GRAVINA *de orig. & progress. iur. ciuil.*
 GEORG. SCHVBARTVS *de fatis iurisprudēt. Romanæ*:
 CONR. RITTERSHVSIVS *proleg. ad XII. leg. tab. cap. III.*
 SIMON. LEVWIVS *de origine & progressu iuris Romani*, aliique plures.

plicare. Erat etiam non incommodus modus, exercendi adolescentulos, quem ex AVGVSTINI *lib. I. Confession. cap. 17.* cognoscimus, nempe *aliquid dicere solutis verbis, quale poeta dixisset versibus.* Hoc enim facit ad verborum rerumque copiam cum parandam, tum augendam, ideoque M. Tullius *pro Archia oratione* multum poetis legendis tribuit ad oratoriam facultatem consequendam. Neque *mathematicum* erant Romani negligentes, quibus ex Pythagorea disciplina, quam GELLIUS *lib. I. cap. 9.* commendat, a pueris imbuebantur, tamquam vsui futuris non modo ad militarem scientiam, quod PLATO egregie demonstrat *lib. VII. de republica*, ed. Basil. p. 439; verum ad ipsam etiam artem dicendi, siue oratoriam. Vnde est, quod *dialogo de orator. cap. XXXI.* dicitur, *Et iuris ciuilibus scientiam veteres oratores comprehendebant, Et grammatica, musica Et geometria imbuebantur,* quod pluribus explanauit QVINTILIANVS *lib. I. cap. 10.* Nec illud tacendum, quod ibidem est traditum, mathematicis disciplinis *acui ingenia, & digeri;* siue, vt PLATO *d. l.* dixerat, *βραδέως, tardos ingenio fieri eisdem ὀξύτερος, acutiores.*

§. XII.

Vna pars superest, quæ facile princeps in studiis Romanorum erat, *recitatio* eorum, quæ ingenio elaborauerant. e) Hæc ad adultiores etiam &

vi-

- e) Oratoria ars insignia habuit incrementa per *recitationes*, quum ipsi poetæ atque oratores ingenii sui specimina, antequam ea in lucem emitterent publicam, vel

Sect. II. de Rom. stud. post Sull. temp. 455

viros pertinebat, vt, si vel orationem, vel historiam, vel maius aliquod carmen composuissent, antequam edebant aut publicabant, eruditissimum quemque ad audiendum vocarent, quibus scriptum ab auctore in erudito confesso ita prælegebatur, vt omnium fere ora vultusque obseruaret, & ex signis illorum colligeret, placeretne, an aliquid improbarent; de quorum sententia, (qui sæpe liberius admonebant, ad id quoque inuitati,) emendabat postea, quæ melius vel mollius exprimi posse censuerant. Mos sane saluberrimus, quo factum fuit, vt nihil in publicum exiret, nisi cura limatum, & de consilio eruditorum emendatum; qui si hodieque superesset, multæ ineptiæ, quæ quotidie vulgantur, prudenti huiusmodi consilio supprimerentur. Innumera exempla apud PLINIVM sunt in *epistolis*: suffecerint pauca nostræ breuitati. *Lib. I. epist. 13: magnum, inquit, prouentum poetarum hic annus attulit. Toto*

Ff 4

mense

vel aliis, ad perlegendum ac corrigendum traderent, vel conuocatis eruditis viris recitarent ac prælegerent. Quæ laudanda consuetudo antiquissimo iam æuo floruit, vt hoc Pacuui exemplum apud GELLIUM *lib. XIII. noct. Attic. cap. 2.* testatur, quippe cui Accius a se elaborata carmina prælegit. Sæpe eiusmodi recitationes publice coram populo, & quidem in theatris, odeis, basilicis, æde Apollinis Palatini cet. instituebantur; atque ab his ex diuersa erant, quæ, solum præsentibus amicis ac fautoribus, vel in ædibus priuatis, sæpe ad id conductis, vel splendidis mæcenatum aulis fiebant. De his recitationibus scriptores memorauit *diff. de ortu & progressu art. critica apud vet. Rom. §. XIX. p. 43.*

menſe aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Utilitatem rei demonſtrat lib. V. epift. 3: has recitandi cauſſas ſequor: primum quod ipſe, qui recitat, aliquanto acrius ſcriptis, auditorum reuerentia, intendit: deinde, quod, de quibus dubitat, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit. Multa etiam a multis admonetur, & ſi non admoneatur, quod quiſque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio, quæ ſatis apertis notis iudicium ab humanitate diſcernunt. Quibus locus non erat auditoribus capiendis, domum mutabantur, ſubſellia conducebant, vt *dialogo de orat. cap. IX.* obſeruat; nec Mæcenates deerant, & ſtudiorum fautores, qui ædes ſuas honeſtiſſimis exercitationibus præberent.

§. XII.

Hæc de ſtudiis in vrbe, f) quæ nec languebant in Italiae coloniis ac municipiis. De Mediolano illuſtre exemplum habes apud *PLINIVM lib. IV. epift.*

f) De fatiſ reliquorum ſtudiorum ac diſciplinarum apud veteres Romanos hic diſputare, nimis longum foret. De ſtatu medicinae Romanorum videantur: *SAL. CELLARIUS in originibus & antiquitatibus medicinae*, & *IO. HEINR. SCHVLZIVS in hiſtoria medicinae*, quæ, in breuem poſtea ſummam contracta, prodiit Halæ MDCCXLI. Reliquorum, qui hiſtoriae medicinae deſcribendæ operam dederunt, haud mentionem facio. De ſtudio arithmetico, geometrico, aſtronomico, aliisque diſciplinis, a Romanis cultis, vid. *CONR. BVDDÉ diſſ. de ſtudiis liberal. apud vet. Rom.* & præſertim *IO. WOWERIVS ſupra laudato tract. de polymathia.* De aſtronomia veterum ſingularem commentationem edidit *COSTARDI*, Londini MDCCXLV.

epist. 13. vbi ita florebant studia liberaliora, vt id municipium, vel pars eius, *nouarum Athenarum* nomen acceperit. Vetus inscriptio apud GRVTERVM p. 177. *num.* 4. testimonio est: A Q V Æ D V C T V M I N N O V I S A T H E N I S C O E P T V M & c. De Mediolano loquitur. Similem scholam Comi constitui PLINIVS *d. l.* accurauit. Quid de inferiore Italia dicam, quæ Magna Græcia appellabatur? Græcæ ibi disciplinæ a multis sæculis domicilium sedemque habuerant. Quæ caussa fuit, vt Heracleenses, Tarentini, Rhegini, Neapolitani Archiam poetam ciuitate ceterisque præmiis donauerint, quia ingenio eius delectabantur. Pro quo TVLLIVS *cap. III.* ait: *erat Italia tunc plena Græcarum artium ac disciplinarum, studiaque hæc in Latio vehementius colebantur.*

SECT. III.

DE STVDIIS PROVINCIALIVM.

§. I.

N V N C tandem de prouinciarum studiis vt aliquid dicamus, instituti nostri ratione admonemur. Non autem eas nunc ciuitates inuademus, quæ studiis Græcis, etiam ante Romanorum tempora, vel imperium, excultæ fuerunt, vt Athenæ, Rhodus, Mytilene, Massilia erant, de quarum studiis nunquam dubitatum fuit, neque ab Romanis illa habuerunt, sed Romani ab illis sua. De Athenis, matre artium & litterarum in Europa, supersedeo dicere: de Asiaticis illis ciuitatibus, quæ so-

latium, propter eadem studia, eruditorum exfulum erant, CICERONEM vide *lib. IV. epist. 7. & lib. VII. epist. 3.* SENECAM *ad Helv. cap. IX.* de Massilia Gallia, Græca colonia, TACITVM *Agric. cap. IV.* qui *Græca comitate & prouinciali parsimonia mistam ac bene compositam* laudat: ideoque malebant quidam eo liberos, vt sedem ac magistram studiorum haberent, quam Athenas mittere, quod minus heic corrumpentur tenelli animi, quam notissima Græcorum leuitate. Sed antiquas Græcorum studiorum sedes iam mittimus, Romanorum gloriæ intenti vnice, vt ostendamus, in quibus barbaris regionibus cultum litterarum excitaerint, eoque feros hominum mores ad mitiorem vitam traduxerint & veram humanitatem.

§. II.

Hispania, Gallia, Britannia; Africa hæ prouinciæ sunt, in quas potissimum litterariæ Romanorum coloniæ deductæ sunt. Sertorius, C. Marii miles, prudentior suo duce fuit, &, quum Hispaniæ imperium adfectaret, plurimasque eius sibi regiones subiecisset, vt constantius feliciusque imperaret, *Osca*, quæ ampla ciuitas sub Pyrenæis est, magistris constitutis, nobilium filios Ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαϊκοῖς μαθήμασι, *Græcis & Romanis*, vt PLUTARCHVS refert in *illius vita*, erudiri litteris curauit. Oppresso Sertorio, haud dubie & schola illius exspirauit; nec vero nulla femina litterarum in Hispanis relicta fuerunt. Inde a Scipionum temporibus coloniæ in illam deductæ sunt, & Romano more in vrbibus prouinciales, Romanis colonis

per-

permisti, viuere cœperunt. Tarraconem intelligo, & Italicam, & Hispalim cum Corduba, & huius quoque instituti alias. Sub idem tempus, quum Q. Metellus Pius contra Sertorium bellum gessisset, *poetas Hispanos fuisse, Cordubæ natos, qui pingue quiddam sonarent atque peregrinum*, hoc est, aliquid solæci vel Græcis vel Latinis carminibus miscerent, CICERO auctor est *pro Archia*, quod argumento fit, non sine scholis fuisse Bæticam, aut sine cultu litterarum, licet, vt fieri solet in tam remotis locis a metropoli, non sincere coleantur. Sed hæc facies antiqua erat: pulchrior sub Augusto, tot nouis coloniis in eam deductis, & veteribus in melius cultiusque reformatis, ex quo tempore Corduba etiam ingeniorum mater facta, vt LVCANVS & vterque SENECA, ad omnem elegantiam eruditi alumni, testimonio sunt luculento. Emeritenses, Cæsaraugustanos, Tarraconenses, Italicenses, e quibus Traianus fuit, Calagurritanos aliosque nunc missos facimus.

§. III.

In Galliam per Pyrenæos saltus transcendimus. Aufonius poeta in *professoribus* suam patriam *Burdegalam* commendat, eiusque rhetoras & eximios grammaticos laudat nominatim. Idem *gratiarum actione ad Gratianum municipales scholas* collaudat, Lugdunensem & Visuntionensem, tantumque in augusto discipulo profecit, vt Antonio, prætorii per Gallias præfecto, ediceret, quo *per omnem diœcesim commissam magnificentia eius frequentissimis in ciuitatibus, quæ pollent & eminent, claritudine*

dine praeceptorum optimi quique erudiendæ præsideant iuventuti, quos ipse explicatius vocat *rhetores & grammaticos Atticæ Romanæque doctrinæ*, lege XI. cod. Theod. de medicis & professorib. vnde etiam priora illa adducta verba sunt. Maxime vero Aeduorum in litteras amor præ ceterorum studio est dignus, qui laudetur. Horum in primaria vrbe, cui *Augustoduno* nomen est, tantus honor litteris fuit habitus, vt Mœniana ædificia, in ipso ore ciuitatis ac transitu aduenientium inter augusta deorum templa, sacrae Musæ possiderent, quæ, quum communi Galliarum malo, Bagaudica rebellionē, euerfa fuissent; Eumenius, rhetoricæ professor a Constantio cæsare Constantini patre constitutus, pro instaurandis illis ad perfectissimum virum, Lugdunensis primæ præsidem, orationem luculentissimam habuit. Cuius argumentum vt magis eluceat, de successu studiorum in illa gente ipsam CONSTANTII sacram ad Eumenium *epistolam*, quia digna est vt ab omnibus intelligatur, adscribo: *merentur*, inquit, *& Galli nostri, vt eorum liberis, quorum vita in Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum suscipere comitatum, vt eorum indoli consulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium his, quam illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere fortuna? Vnde auditorio huic, quod videtur interitu præceptoris orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cuius eloquentiam & grauitatem morum, ex actus nostri habemus administratione compertam.* Saluo igitur

tur priuilegio dignitatis tuæ hortamur, vt professionem oratoriam repetas, atque in supra dicta ciuitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes, nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, quum honesta professio ornet potius omnem, quam destruat, dignitatem.

§. IV.

Durocortori quoque Remorum (nunc Reims) prouentus litterarum fuit adeo, vt Athenarum nomen, perinde ac Mediolanum, acceperit. CORNELIVS FRONTO, apud P. CONSENTIVM, vetustum grammaticum, ille, inquit, vestræ Athenæ Durocortoro: nam & Durocortoronem inflectebant. Ad harum exemplum, extremas Galliarum ciuitates, Augustam Treuerorum, Argentoratum, Nemetum Vangionumque vrbes, Magontiacum, Agrippinensem Coloniam, institutas fuisse, quis dubitabit, non ignarus consuetudinis Romanæ? Idem censemus de Rhetorum colonia Augusta. In Germania autem hæc seges serius succreuit. Britanni feliciores fuerunt, eo sensim Romanorum consuetudine adducti, vt, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam, fastigium doctrinæ, concupiscerent, postquam præsidum cura institutum fuerat, vt principum filii liberalibus artibus erudirentur. TACITVS in Agricola cap. XXI. auctor est.

§. V.

§. V.

Sicilia antiquitus Græcas vrbes habebat, & Græca utebatur dialecto. Romanis subiecta didicit etiam Latine, & Romanam exercuit eloquentiam. Valerius ibi Licinianus, vir prætorius, a Domitiano relegatus, rhetor de oratore, cum auspicaretur profiteri, *Latine*, inquit, *declamaturus sum.* PLINIVM vide *lib. IV. epist. II.* In Asiam quoque, quamlibet Græcis studiis adfluentem, Latini rhetores acciti, vt Diocletiani iussu Lactantius Nicomediam, qui in principis sede *oratorias litteras*, quod ipse dicit *lib. V. cap. 2. doceret.* Nec Africa, Romanis subdita, expers litterarum erat. Punicæ suæ linguæ Latinam addidit, quam vsque ad eloquentiæ nitorem excolebat. Nec tantum Carthagine, proconsulis sede, illæ litteræ docebantur; sed Madauris etiam, & in vtroque Hippone, aliisque in coloniis. Testis Augustinus, ex Thebaste in vicinam urbem Madaura missus, *litteraturæ atque oratoricæ percipiendæ* causâ, quia Carthaginensis peregrinatio longinquior erat a patria. Vide *lib. II. confess. cap. 3.* O felicem terram, in qua studia litterarum percoluntur! feliciorē, in qua illa non *obliuione moris antiqui*, sed imitationē Romanorum exercentur.

§. II.

Fuerunt etiam *venationum* ludi in amphitheatro haberi soliti, vbi cum beluis, in Italia minus cognitis, sed ex Africa & Asia adductis, certatum fuit in populi oblectationem. Erat & *naumachia*, simulacrum naualis pugnae.

§. III.

Omnium autem clarissimi ludi & celebratissimi erant *gladiatorii*, ad quos saepissime etiam a CICE-
RONE & scriptoribus aliis adluditur, ideoque cura-
tius nobis, quam ceteri tractandi erunt.

§. IV.

Ludi alii *publici* erant, qui maxima pompa pro salute ciuitatis, aut ad demerendam populi gratiam instituebantur; alii *privati*, quibus priuatim & inter amicos erant dediti.

§. V.

De publicis hoc loco agendum est, quorum varia fuerunt genera. Nos praecipua tantum & ea feligemus, quae ad intelligendos scriptores, qui in iuuenum manibus sunt, maxime facere videntur. Et tales quidem sunt, quos proprie *ludos Romanos* vocabant & *circenses*: porro ludi *scenici*, *gladiatorii*, *venationum* & *naumachiae*.

SECT. II.

DE LVDIS SPECIALIBVS.

CAP. I.

DE LVDIS CIRCENSIBVS.

§. I.

ROMANI ludi κατ' ἐξοχήν ita dicti sunt ipsi cir-
 Cellar. Antiquit. Gg cen-